

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Temptatio I
cum fonte primo

Preceps anima dum ante
non preuidet ne incaute uideat quod
concupiscat, caeca postea incipit
desiderare quod uidit.

Sanctus uir

ut cogitationes caste desiderare
potuisset, fedus cum oculis pepigit ne
prius incaute respiceret quod postmodum
inuitus amaret.

Gregorius libro XXI. moralium tractans
illud: Pepigi fedus cum oculis meis.

Praeceptis quippe anima dum ante
non prouidet, ne incaute uideat quod
concupiscat, caeca post incipit
desiderare quod uidit.

Vnde et prophetae mens, quae subleuata
saepe mysteriis internis intererat, quia
alienam coniugem incaute uidit,
obtenebrata postmodum sibimet illicite
coniunxit.

Sanctus autem uir,
qui acceptis corporis sensibus uelut
subiectis ministris quidam aequissimus
iudex praest, culpas conspicit antequam
ueniant et uelut insidiantis morti fenestras
corporis claudit dicens: *Pepigi foedus
cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem
de uirgine.*

Vt enim cogitationes cordis caste seruare
potuisset, foedus cum oculis pepigit, ne
prius incaute aspiceret quod postmodum
inuitus amaret.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 21, 2
(CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.1066,
ll.23-34).